



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Divi Avrelii Avgvstini Hippon. Episcopi Meditationes, Soliloquia et Manuale

Augustinus, Aurelius

Coloniae Agrippinae, 1649

Hic recognoscit homo se causam esse paßionis, 7

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54885](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54885)

pie Pater, adolescentis filii charissimi caput nivea cervice deflexa preciosissimum resolutum in mortem! Aspice mitissime conditor, dilectæ sobolis humanitatem, & miserere super infirmi plasmatis debilitatem.

3. Candet nudum pectus, rubet cruentum latus, tensa arent viscera, decora languent lumina, regia pallent ora, procerâ rigent brachia, crura pendent marmorea, rigat terebratos pedes beati sanguinis unda. Specta, gloriose genitor gratissimæ prolis lacerata membra; & memorare benignus, quæ mea est substantia. Conspicere Dei hominis poenam, & relaxa conditi hominis miseriam. Vide Redemptoris supplicium, & redempti dimitte delictum. Hic est, Domine mi, quem propter peccata populi tui percussisti, licet ipse sit dilectus in quo tibi bene placuisti. Hic est ille innocens, in quo dolus non est inventus, & tamen inter iniquos deputatus est.

C A P V T VII.

*Hic recognoscit homo se causam esse
Passionis.*

1. **Q**uid commisisti, dulcissime puer, ut sic judicareris? Quid commisisti, amantissime juvenis, ut adeo dure tractareris? Quod scelus tuum, quæ noxa tua, quæ causa mortis, quæ occasio tuæ damnationis? Ego, ego sum tui plaga doloris, tuæ culpa occisionis. Ego tuæ mortis meritum, tuæ vindictæ flagitium: Ego tuæ passionis livor, tui cruciatus labor. O admirabilis censura

furæ conditio, & ineffabilis mysterii dispositio! peccat iniquus, & punitur justus. Delinquit reus, & vapulat innocens. Offendit impius, & damnatur pius. Quod meretur malus, patitur bonus, quod perpetrat servus, exsolvit Dominus; quod committit homo, sustinet Deus. Quo nate Dei, quo tua descendit humilitas? Quo tua flagravit charitas? Quo processit pietas? Quo excrevit benignitas? Quo tuus attingit amor? Quo pervenit compassio?

2. Ego enim inique egi, tu poena multaris. Ego facinus admisi, tu ultione plecteris. Ego crimen edidi, tu torturæ subjiceris. Ego superbivi, tu humiliaris. Ego tumui, tu attenuaris. Ego inobediens extiti, tu obediens scelus inobedienciæ luis. Ego gulæ parui, tu inedia afficeris. Me ad illicitam concupiscentiam rapuit arbor, te perfecta charitas duxit ad crucem. Ego præsumpsi vetitum, tu subiisti eculeum. Ego delector cibo, tu laboras patibulo. Ego fruor deliciis, tu laniaris clavis. Ego pomi dulcedinem, tu fellis gustas amaritudinem. Mihi ridens congaudet Eva, tibi plorans compatitur Maria. Ecce Rex gloriæ. Ecce mea impietas, & tua claret pietas. En mea injustitia, & tua liquet justitia.

3. Quid Rex meus, & Deus meus, quid retribuam tibi pro omnibus quæ retribuisti mihi? Non enim inveniri potest in corde hominis, quod condignè talibus referatur præmiis. Nunquid sagacitas machinari potest humana, cui comparetur miseratio divina?

na? Nec est creaturæ moliri officium, quo iuste creatoris recompenset: præsidium. Est autem nate Dei in hac tua admirabili dispensatione, est cui fragilitas mea in aliquo suppetit, si tua visitatione compuncta mens, carnem suam crucifigat cum vitiis & concupiscentiis. Et hoc cum à te conceditur, quasi tam tibi incipit compati; quia & tu pro peccato meo dignatus es mori. Sicque per interioris hominis victoriam, te duce armabitur ad exteriorem palmam: quatenus devicta persecutione spirituali, non vereatur pro amore tui subjici gladio materiali. Ita exiguitas conditionis, si tuæ complaceat pietati, magnitudini valebit pro viribus respondere creatoris. Et hæc cœlestis medicina, bone Iesu, hoc tui antidotum amoris. Oro te per antiquas misericordias tuas, infunde vulneribus meis, quo rejecta vipereæ contagionis bile reintegret me incolumitati pristinæ; quo gustato tuæ nectare suavitatis, faciat me illecebrosa mundi toto affectu despiciere, & nulla ejus adversa pro te formidare, memorque perpetuæ nobilitatis semper fastidiam ventos hujus transitorii timoris.

4. Nihil (quæso) sine te, mihi dulcescat; nihil complaceat, nil pretiosum, nihil præter te mihi arrideat speciosum. Vilescant, obsecro, absque te mihi omnia, sordeant universa. Quod tibi adversum est, sit mihi molestum; & tuum beneplacitum, mihi indeficiens desiderium. Tædeat me gaudere sine te, & delectet contristari pro te. Sit mihi nomen tuum, refocillatio, & memoria
tui

tui consolatio: fiant mihi lachrymæ meæ panes die ac nocte investigando justificationes tuas; sit bonum mihi lex oris tui, super millia auri & argenti. Sit obedire tibi mihi amabile; & resistere tibi execrabile. Rogo te, spes mea, per omnes pietates tuas ut propitius impietatibus meis. Adaperi aures meas mandatis tuis, & ne declines (flagito) per nomen sanctum tuum in verba malitiæ cor meum, ad excusandas excusationes in peccatis. Peto etiam per admirabilem humilitatem tuam, ne veniat mihi pes superbiæ, & manus peccatoris non moveat me.

C A P V T V I I I.

*Hic exponit homo Deo Patri passionem Filii
in sui reconciliationem.*

I. **E**cce omnipotens Deus pater Domini mei, dispone benignus, quo miserearis mei, quoniam quicquid preciosius inveni, devote obtuli; quicquid charius reperi, suppliciter præsentavi. Nihil mihi reliqui, quin tuæ exposuerim Majestati; nihil jam superest, quod adjiciam: quia totam tibi delegavi spem meam. Direxi tibi advocatum meum, dilectum Filium tuum. Misi gloriosam progeniem, inter me & te mediatorem: Misi, inquam, intercessorem, per quem confido veniam. Misi verbis Verbum, quod pro meis dixi missum factis, & numeravi tibi sanctissimæ sobolis passionem, quam pro me credo fuisse perpessam. Credo à te missam deitatem, meam suscepisse humanitatem; in qua dignum duxit